



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XIII. Septimum reprobationis signum, Affectus vindictæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**

C A P U T XIII.

Septimum reprobationis signum, Affectus vindictæ.

**D**ico decimò tertio. Reprobationis signum est affectus vindictæ. Probatur primò è Scripturis. Matth. 6. *si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quod expendens Augustinus in Enchirid. cap. 74. *si, inquit, non dimiseris, non dimittet.* Ad tam magnum tonitrum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Hoc illustrat Matth. 18. parabola servi: cui dicitur, *serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me: nonne ergo oportuit te misereri conserui tui?* Et infra, *tradidit illum tortoribus, &c.* Unde concludit Christus parabolam, *sic faciet pater meus celestis, si non remiseritis fratri vestro de cordibus vestris.* Quod expendens Chrysostomus hom. 27. in Genes. *si hoc, inquit, non fecerimus, nihil eos (inimicos) ledere poterimus: nobis autem ipsis intolerabilem gehenna pœnam paramus.*

Matth. 6.

Augustin.

Matth. 18.

Chrysostr.

Qui inimicis non dimittit, eos non lædit, sed sibi gehennam parat.

Psal. 108.

Christus voluit nos quotidie dimissionis injuriarum recordari.

Confirmatur ex Matth. 6. *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.* Ergo, si non dimittimus, Deus non dimittet. Ex opposito enim antecedentis sequitur oppositum consequentis. Quamobrem Augustinus sermon. 61. de temp. *si inimicos non diligimus, qua fronte dicimus in oratione, Pater noster? qua ratione dicere poterimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus?* Quod est reprobationis signum maximum, juxta illud Psalm. 108. *cum indicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.* Non quod quis peccet recitando orationem dominicalem, quando retinet odia contra inimicos, ut benè observat Cassian. coll. 9. cap. 22. sed quod hæc oratio facit illi circumstantiam aggravativam peccati. In quo animadvertendum est imponi nobis à Christo, ut dimissionis injuriarum quotidie recordemur, dum panem quotidianum petimus. Quod valde notandum est: cum nullum aliud præceptum Christus in oratione dominica inseruerit, præter hoc, quod dimittamus. Voluit etiam, ut is qui non dimittit, faciat ipsemet contra se damnationis sententiam: dum petit ita à Deo dimitti sibi, sicut ipse dimittit aliis. Ergo non dimittens aliis manifestum habet reprobationis indicium, dum quotidie suo se ore condemnat. Ideo Augustinus serm. 61. de temp. *nescio, August.* inquit, *qua fronte indulgentiam peccatorum obtinere poterit ante tribunal Christi, qui Deo præcipienti inimicis suis veniam dare, non acquiescit.* Unde sumendo argumentum.

Probatur idem secundò ratione ducta ex iisdem Scripturis. Per



Affectus  
vindictæ  
specialiter  
aditum ad  
veniã pec-  
catorum  
præcludit.

Iacobi 2.  
Eccles. 28.

Deus pec-  
cata contra  
proximum  
magis ul-  
ciscitur, quã  
contra se.

Chrysof.

Cyprian.  
Injurias nõ  
dimittere  
crimen est  
neque mar-  
tyrio exorabile.

Surius.

Psal. 5.  
Chrysof.

illud peccatum habetur speciale reprobationis indicium, per quod homo specialiter præcludit sibi aditum veniæ: cum nemo sit sine peccato: ac proinde ad assequendum prædestinationis finem quilibet egeat venia. Sed per affectum vindictæ specialiter homo sibi præcludit aditum veniæ. Tum quia specialiter Deus contestatur se non dimissurum illi, qui non dimittit. Tum quia peccator negando suam misericordiam alteri, specialiter meretur, ut negetur illi à Deo misericordia: & si minùs signatè, saltem exercitè rogat Deum, ut ulciscatur injurias ipsi ab eo illatas: sicut ipse ulcisci appetit injurias illatas sibi. Ergo ex hoc maximè peccato habetur speciale reprobationis indicium: cum per hoc specialiter præcludatur aditus ad misericordiam divinam. Quippe *inducium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*, Iacobi 2. & *qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam: & peccata illius servans servabit.* Eccles. 28. Vindicta igitur expetita de inimico, signum est divinæ vindictæ expetendæ de ultore.

Confirmatur primò, quia Deus est paratissimus ad dimittendas injurias illatas sibi: sed renuit dimittere, nisi dimittamus proximo; quasi contestans se potius ulturum peccata contra proximum, quàm contra se. Ideo David, quod ultionem in hostes non exercuerat, petens sibi peccata dimitti dicebat, *tibi soli peccavi.* Psalm. 50. Quod expendens Chrysostomus homil. cit. *Magna, inquit, & ineffabilis Dei misericordia! cum in se quidem peccatum est, ad nudas tantum preces totum remittit: cum autem in conservum videt crudelem, suam revocat liberalitatem.*

Confirmatur secundò, quia si actus remissionis injuriarum quodammodo præfertur martyrio, ut supra dictum est cum Nazianzeno, affectus ultionis injuriarum videtur ne dilui quidem posse martyrio, ut expressè Cyprianus de orat. ubi: *Sic, inquit, peccata nobis dimitti postulamus, secundùm quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus. Quale crimen est (non dimittere) quod martyrio non potest exorari?* Quod in Sapphira contigit, qui constanter ductus ad locum martyrij, cum Nicephoro pro contumelia illi olim illata petenti veniam subiratum se ostenderit; & martyrio excidit, & fide: subrogato ad illius coronam Nicephoro, ut refert Surius in ejus vita die 9. Februarij.

Confirmatur tertidò, quia Deo est omnino abominabilis homo ultionis cupidus, juxta id quod dicitur Psalm. 5. *virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.* Adeo ut teste Chrysostomo homil. cit. nihil Deus æquè abominetur: *Nihil, inquit, Deus ita odit, & aversatur ut hominem ultionis avidum, & in animo suo perpetuas inimicitias servantem. Tantum eius peccati damnum est, ut misericordiam Dei revocet, nec locum habere sinat.* Seclusa autem Dei misericordia, ex qua pendet prædestinatio, statim sequitur reprobatio.



Confirmatur quartò, quia sicut per dilectionem inimicorum habetur filiatio Dei; & sic dicitur Matth. 4. *ut sitis filij Patris vestri*, &c. Ita per odium inimicorum amittitur Dei filiatio, quamobrem Augustinus serm. 61. de temp. *advertite*, inquit, *quod si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus*. Si non filij, neque hæredes.

Confirmatur quintò, quia sicut per dilectionem inimicorum habetur similitudo Dei, ut ostensum est supra: ita per odium, dissimilitudo. Ideo Gregorius lib. 3. moral. cap. 32. *dum mansuetudo*, inquit, *amittitur, superna imaginis similitudo vitiatur*. Sicut autem prædestinationis est signum similitudo cum Deo, complenda in patria, quando *similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est*. 1. Ioan. 3. ita dissimilitudo reprobationis est signum. Nihil autem magis difformatur à Deo remittente innumerabiles offensas, quæ contra ipsum patrantur quotidie in toto orbe terrarum, quàm animus ferens perpetua odia propter unam offensam, vel alteram sibi irrogatam. Ideo Hieronymus lib. 3. comm. in Matth. *si*, inquit, *ob contumeliam simus implacabiles, & propter amarum verbum perpetes habeamus discordias, nonne videmur rectè in carcerem redigendi?*

Confirmatur denique sextò, quia si affectus vindictæ sortitur effectum, multò maius inde signum reprobationis habetur ex illa comminatione facta à Deo in utroque testamento tam veteri, quàm nouo. Dicitur quippe Genes. 9. *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Dicitur etiam à Christo Matth. 26. *converte gladium tuum in locum suum: omnes, qui accipiunt gladium, gladio peribunt*. Observandum autem est hoc dici Petro, qui gladium evaginaverat ad defensionem Christi. Nullus profectò iustior ob causam evaginabitur gladius; tamen, ut Christus ad hoc cæteros deterreret, ea occasione comminatus est huiusmodi homines, *qui gladio feriunt, gladio perituros*. Hoc experientia quotidiana monstrat: & multis id exemplis probat Cornelius in Deut. 21. num. 3. Si igitur his Deus ipse contestatur mortem violentam; quæ sæpissimè repentina præcludere solet aditum ad pœnitentiam: habent hi maximum signum, quod morituri sint cum impœnitentia finali, ac proinde reprobati. Adde clamare contra eos effusum sanguinem: cuius in expetenda à Deo ultione quot guttæ, tot voces. Ideo dicitur Genes. 4. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Denique, cum quis inimicum occidit, vel anima eius qui occiditur, salvatur, vel damnatur. Si salvatur, ex zelo iustitiæ clamat coram Deo ultionem Apocal. 6. *Vidi sub altari animas interfectorum, &c. Et clamabant voce magna dicentes, usquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Si damnatur, tunc damnatio æterna illius clamat æternam damnationem homicidæ; qui fuit illi causa proxima damnationis. Quamobrem aliqui minus im-

CXCIX.  
Per inimicorum odium amittitur filiatio Dei.

Gregor.

1. Ioan. 3.

Genes. 9.

Matth. 26.

Genes. 4.

Apoc. 6.



pij, qui ut suæ existimationi consulant, statuunt alienæ vitæ non pat-  
 cere, curare interdum solent, ut confessarius præstò sit, qui morituro  
 absolutionem impendat: consummantes ultionem in corpore, nec  
 protendentes odia in moram infinitam æternitatis. In his, inter ipsa  
 crimina scintilla quædam apparet fidei, & aliquale signum prædesti-  
 nationis. Cæterum universaliter sentiendum est cum Augustino in  
 epist. Ioann. tract. 5. *inter filios Dei, & filios diaboli* (inter prædesti-  
 natos, & reprobos) *dilectionem solam discernere.*

## CAPUT XIV.

*Octavum prædestinationis signum, Continentia.*

**D**ico decimoquartò Prædestinationis signum est Castitas. Pro-  
 batur primò è Scripturis. Primus locus est Sap. 3. *Felix est steri-*  
*lis, & incoquinata, qua nescivit thorum in delicto: habebit fructum*  
*in respectione animarum sanctarum:* id est, ut ibi Glossa interlinea-  
 ris, *habebit fructum æterna beatitudinis.* Loquitur autem Sapiens de  
 continente conjugali *nesciente thorum in delicto.* Sequitur de conti-  
 nentia Virginali, & spado, *qui non operatus est per manus suas ini-*  
*quitate: nec cogitavit adversus Deum nequissima.* Dabitur enim illi  
 fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima. Id est, ut Lyra-  
 nus, dabitur illi donum gloriæ; quod datur pro fide formata charitate.  
 Per spadonem autem, ut ait Rabbanus, *potest hic Virginum ordo in-*  
*telligi, de quo in Isa. 56. non dicat Eunuchus, ego sum lignum aridum.*  
 Si ergo promittitur castitati tam conjugali, quam virginali, gloria,  
 sequitur quod utraque prædestinationis sit signum; altioris tamen in  
 virginibus: quæ, ut ait Cyprianus lib. de hab. virg. sunt *illustrior*  
*portio gregis Christi.*  
 Secundus locus est Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum*  
*claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum*  
*nota est, & apud homines.* Et, in perpetuum coronata triumphat, *incoi-*  
*quinatorum certaminum præmium vincens.* Id est, ut ibi Lyranus præ-  
 mium, quod redditur pro certaminibus incoquinatis. Ergo Castitas si-  
 gnum est futuræ coronæ, & triumphi, & præmij pro victoria in  
 hoc certamine. Neque immeritò: quia, ut ait Augustinus in serm. de  
 vitanda famil. mulier. qui habetur tom. 5. *inter omnia Christianorum*  
*pia certamina, duriora sunt pralia castitatis; ubi quotidiana pugna, &*  
*rara victoria.*  
 Tertius locus est Isa. 56. *Hac dicit Deus Eunuchis, qui custodierint*  
*sabbata mea: dabo eis in domo mea, & in muris locum, & nomen*  
*melius.*

Sap. 3.

Glossa.

Isaia 56.

Cyprian.

CC.  
Virgines  
illustrior  
portio gre-  
gis Chri-  
sti.

Sap. 4.

August.  
Castitatis  
certamina  
in hac vita  
sunt omniū  
duriora.  
Isaia 56.